Fragmentarium

INCIPIT PREFATIO HIERONIMI PRESBITERI IN EXPOSITIONIS DANIELIS PROPHETE.

Contra prophetam Danielem librum scripsit
porfirius. nolens eum ab ipso cuius scriptus est nomine
conpositum. sed a quodam qui temporibus antiochi qui
appellatus est epyphanes fuerit in iudea. et non tam
danielem uentura dixisse. quam illum narrasse preterita.
Denique quicquid usque ad antiochum duxerit. uerum historia contine-
re. Siquid autem ultra opinatus sit. quia futura nescierit esse menti-
tum. Cui solertissime respondet eusebius cesariensis episcopus tribus
uoluminibus. XVIIImo. & XVIIIImo. & XXmo. Apolenaris uno grandi libro
hoc est XXVImo. et ante hos ex parte methodius. Uerum quia nobis proposi-
tum est non aduersarii calumpniis respondere. que longo sermone
indigent. sed ea que a propheta dicta sunt. nostris disserere id est xpistianis.
Illud in prefatione commoneo nullum prophetarum tam aperte dixisse de xpisto.
Non enim solum scribit eum esse uenturum quod est commune cum ceteris. sed quo
tempore uenturus sit docet. et reges per ordinem digerit. et annos enumerat.
et manifestissima signa pronuntiat. Que quia uidit porphirius
uniuersa copleta et transacta. negare non poterat superatus histo-
rie ueritate. in hac prorupit calumpniam ut que in consummatione mundi
de antixpisto futura dicuntur propter gestorum in quibusdam similitudinem
sub antiocho epyphane impleta contendat. Cuius inpugnatio
testimonium ueritatis est. Tanta enim dictorum fides fuit. ut propheta incre-
dulis hominibus non uideatur futura dixisse. sed narrasse preterita.
Et tamen sic ubi se occasio in explanatione eiusdem uoluminibus
dederit. calumpnie illius stricti respondere conabor. & philosophie
artibus immo malitie seculari per quam subuertere nititur ueritatem. et quibusdam
prestigiis clarum oculorum lumen auferre. explanatione simplici con-
traire. Itaque obsecro uos pammachi. filomathesathe et marcella
unicum rome sanctitatis exemplar. iunctus fide et sanguine. ut cona-
tus meos orationibus adiuuetis. Et dominus atque saluator pro causa suo sensui
meo ore respondeat. qui loquitur ad prophetam. aperi os tuum et im-
plebo illud. Si enim cum apprehensi fuerimus ante iudices et tribunal
ammonet ne cogitemus quid respondere ualeamus. quanto magis
contra aduersarios blasphemantes sua potest bella bellare. & in
seruis suis uincere. Unde et psalmi plurimi illud hebraicum quod

License: public_domain – Cambridge, MA, Harvard University, Houghton Library, MS Lat 168, f. 1r – St. Bonaventure, Commentaria in quatuor libros Sententiarum (https://fragmentarium.ms/view/page/F-jeu7/8909/67029)